QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVI. IANVARII.

M. NICOLAO BRAYER, Doctore Medico, Præside.

An quæ hydrargyro non cedit Syphilis, hidroticis percuranda?

I.

SYPHILIS priscis non ignota, indis vernacula, nostratibus turpioris intemperantiæ morbus, hominum ità propria, ut cum brutis animantibus non sit communis, aptè tamen belluina dicitur. Calida est jecoris intemperies, non nuda, virulenta, contagiosa, naturæ functiones per se primò lædens; eam excitat morbida excretio extrinsecùs semper adveniens, fovet humor quilibet, non ex æquo omnis, nec usquam sine pituotosi admistione, is præter calorem & acrimoniam qualitatem inexplicabili malignitate deleteriam, eamque materialem sortitus sontes & insontes corripit: illos contactu, hos & fomite, nemini innascitur. Quî incesserit retegunt ulcera, & à quâ parte initium sumpserit, demonstrant: in lactentibus inuruntur ori, in lactantibus mammis aut earum papillis, in obstetricantibus digitis, in sibi osculo blandientibus labiis, in combibonibus faucibus, in scortatoribus pudendis: & horum alia externa sunt, interna alia; illa humoris genitalis virulenti; hæc halitus ejusdem appulsu inferuntur; ab his δυσουρικὰ ἢ γονορροικὰ πάθη luis impendentis rudimenta, signaque prænuntia, & quidem non infida externorum in pudendis ulcerum, & bubonum in inguinibus accessione. Per ea cuicumque corporis parti impressa ejus seminarij vis & virtus viam sibi facit ad interiora, & pedetentim tacitoque ac latenti progressu ad hepar (tanquam malo eligente in eo grassari) manat conceditque, cui, ut pestis cordi, venenata vis in demorsis à cane in rabiem acto cerebro bellum indicit, cæcis lentæ putredinis ignibus ipsum alterando temperiem evertit, æstum imprimit, malignam labem opere plurimo eluendam infligit, spiritus, sanguinem, reliquos humores exilibus ipsius venis coërcitos ac pituitosum imprimis & per parenchyma quoquoversum diffusos inquinat inficitque, quorum dein ἀναδόσει & ζυμώσει ocyùs foras remigrat & longè latéque serpit, partiumque omnium etiam solidissimarum substantiam penitius subiens pervadensque labefactat, corrumpit, exest vel comminuit, unde numerosi pullulant affectus specie & sedibus discreti. Frons superciliis nuda, palpebræ ciliis, nares vibrissis, labra & mentum pilis, capillis caput, cutis crebris maculis, modò rubris, modò flavis, lentiginis instar, deformis; pustulæ rubræ, rotundæ, latæ ac depressæ, in ambitu duriores, puris expertes, in fronte primum, temporibus & ponè aures, tum in capite & reliquo corpore extuberantes; verrucæ sessiles, teretes, basi latiore, in natibus & pudendis erumpentes, & in ulcera, ut pustulæ degenerantes; ulcera sordida & callosa, interdum depascentia, quæ nonnunquam carcinomatis naturam induunt; ex vuulâ penitùs exesâ orationis libertas intercepta; dolores in mediis artubus, capite, scapulis atroces, noctu ingravescentes, tophis succrescentibus atrociores, quos adeò indurescere contingit, ut ossium duritiem mentiantur, & ab exostωsi ex facili non distinguantur; clavicularum in latitudinem incrementum fide majus; ossium alia partibus circumjectis illæsis carie consumuntur; ut

ensis fulminis cujusdam ictu atteritur integrâ vaginâ; alia iis sauciatis excidunt, ut nasi & palati; illorum jacturâ simitas inducitur; horum vocis articulatio aboletur; hæc arte non naturâ; illa neutrâ reparatur. Hi omnes affectus luis venereæ lascivientis propagines se probant, cum non indole suâ, nec partis affectæ conditione, sed unius veneni malignitate præsidiorum vulgarium ex arte adhibitorum vim aut elidunt, aut eludunt; ipsum verò invictum perstat, etiam humore, cui inhæret, corrupto aut in aliam substantiam converso: hinc est, quod cum semine in natos abit ex traduce, graves post aliquot annos & exitiosas subdolæ suæ perniciei notas proditurum: tametsi in parentibus perobscura subsint prægressæ luis vestigia & longè antehac præteritorum potiùs recordatione, quàm sensibus nota, adeò ut nemo liberum se ab hac ægritudine certò profiteri possit, nisi qui ea nusquam laboraverit, quamquam hydrargyrum & hidrotica tanquam omnis syphilidis ἀπαλλακτικὰ ætas nostra demiretur, & acri castigatoque judicio examinata ratio præsentanea censeat remedia, quæ usus (cujus in his magna est authoritas) saluberrima comprobet.

II.

HIS siquidem duobus præsidiorum generibus syphilis omnis morbique illius consectarij, tametsi contumaces percurantur; tutò, corpore & humoribus per missionem sanguinis, catharsin, balneum aquæ egelidæ & conveniens victus genus prius contemperatis; tum resciffis penitùs causis omnibus cùm excitantibus, tùm foventibus continuâ sputi mucosi profusione & copiosis toto corpore obortis sudoribus: illam concitat hydrargyrus: hos promovent hidrotica, vaporarium videlicet & decoctum corticis vel ligni utriusque Guajaci ac præsertim interioris fusci, gommosi pondere suo æstimandi, sarçæ parillæ; radicis Sinarum gravis & candicantis potiùs, quam buxi, corticis juniperi, scordij & similium tepidum epotum, quod tenuitate suâ humores visciditatis cujusdam participes in visceris principis nutritij secessibus hærentes aut illius parenchymati altiùs impactos incidit, calore attenuat & cum serosis in vapores resolvit, quos in corporis ambitum amandat propellitque, aeris verò circumfusi tepor ac etiam fervor à vaporario evocat elicitque & hi membranarum occursu densati cæcis universæ cutis spiraculis reseratis in sudorem uberrimum toto corpore guttatim & exhalando manantem abeunt facessuntque, adeò ut cum eo virus venereum cùm interiores, tùm exteriores partes occupans expiret omne. Hydargyrus velut quædam virtus superior crassum lentumque quemvis humorem ab internis externisque corporis partibus remotissimis in fauces & os sputando excernendum regerit. Papulas autem deturpantes exsiccat, ulcera ad cicatricem perducit, callosas ipsorum oras, ossium tumores & circà ipsorum membranas aut musculorum tendines tophos concretos & induratos mirabili nec satis perspectâ suâ tenuitate humiditati conjuncta emollit, incidit & sic dissolvit, ut lubrico humore confluere aptos efficiat, & quidem intrò assumpta, inuncta, admota, vel ex eâ aut cinnabari ejus sobole paratus suffitus. Quæ certè præstare omnia non potest, nisi in hepar luis venereæ sedem præcipuam cæterasque partes morbis ab eâ profectis contaminatas, ut in subactas pelles sese insinuet, permeetque, quarum æstum frigore suo contemperat, malignam labem inustam eluit aut extinguit repressâ putredine & singulari purgandi vi, quâ pollet humores noxios venenata qualitate inquinatos lentore suo & crassitie pervicaces ab iis exigit: verum idcircò fossilis duntaxat & è propria venâ scaturiens quâvis arte paratâ præstantior in usum veniat, nec priùs, quam suis inquinamentis abundè sit repurgata.

III.

LVIS venereæ una est essentia, sedes una, mos non unus, causa multiplex, ordines varij. moris & causarum diversitas à veneni viribus & humoris, cui insidet naturâ petitur; ut ordinis varietas à partium positu & substantiâ, quibus ab eâ pronati affectus, sive symptomata tantùm sint, sive prætereà morbi, inhærescunt. Ab his ca-

pitibus curatio difficilis existit, quam qui uni naturæ concrederet, non satis intelligere se comprobaret, nec quid ipsa possit, nec in quo veneni natura posita sit, à quo morbus malè moratus δυσκαταμάχητος est, non omnis perinde. Curandi difficultate & in recidivas proclivitate cæteris anteſtat lues venerea, ex minima virulenti humoris, qui eam aluit, vel ab eâ ortos affectus excitavit, portione post curationem superstite etiam in extimis corporis partibus (præter aliorum venenorum naturam) post decem, viginti aut etiam plures annos, eadem suis omnibus comitata symptomatis, si negligitur, recrudescit, & pari feritate repetit atque etiam majore: non secus ac incendium nonnunquam majus, ex levioris scintillâ, si permittitur, oritur: in quo pestem inolescentis generis humani tonsuram malignitate superat, quæ tametsi sæpenumero ac ferè semper in nonnullis corporis affectibus sui ad multos annos relinquat impressum vestigium vix eluibile, quod doloris identidem recurrentis sensu non optandam præteritæ luis memoriam refricat, ab eo nusquam tamen repullulat, licet in eam pronior sit lapsus. Ab humoris partisque, cui is infixus est substantiâ & peculiari ægrotantis constitutione ea curationis difficultas interdum emergit, quam nec hydragyrus quidem potentissimum alexipharmacum vincit, quamquàm virus sic obtundat, ut compresso illius maleficio extinctum videatur, & meritò crederetur, nisi postliminiò eadem lues suorum symptomatum stipata satellitio rediens dilatam non ablatam perniciem revinceret.

IV.

SYPHILIDIS curatio alieni humoris veneni labe & pernicie aspersi vacuatione & neoterismo jecoris è naturâ egressi cæterarumque partium, quas illius prodromi aut consectarij morbi infestant, rectè suscipitur, non absolvetur, nisi humoribus virulentis, illorum omnium fontibus & fomitibus prorsùs exhaustis, quod unico præsidij genere usquequaque vix assequimur: ipsorum una non est substantia, nec sedes, nec indoles una. Hydrargyrus consistentiâ tenuis, fluida, guttis dividi facilis, colore argentea & pellucida, cujus contactu manus livescit, non humescit, concretionis à frigore per se nescia, quovis corpore gravior, præterquam auro, cujus & cæterorum metallorum venenum est: in eorum tamen familiâ, & in medicamentorum purgantium censu (licet in eâ frigus & humiditas præpolleant) meritò reponitur, eam purgandi facultatem à naturâ nacta est, quâ ne ustione quidem spoliari potest, verum in ejus cinere superstes perstat, multò etiam quàm antea vehementior & perniciosior: ut in actum erumpat interno ventriculi calore opus non habet, sufficit externus etiam extremorum artuum, quorum illitu non quivis promiscuè humores, sed crassi & glutinosi è toto corpore in alveum intestinorum per alvum deturbandi, vel maximè propriâ atque vi insitâ in os expuendi derivantur: non attracti, sed propulsi tantâ interdum copiâ, ut tormina intoleranda exciteńt & strangulatus metum incutiant. Ad hunc impulsum non parùm inter cætera conducunt humorum viscìditas & crassities, quibus destituti protrudentis impetum eluderent, ut ichor tenuis in pulmonum bronchia illapsus occurrentis spiritus vehementiâ in asperam arteriam repulsus & sublatus dissilit nec extunditur; atque hi quò tenuiores & longiùs à faucibus absunt partibusque durioribus & solidioribus altius infixi, ægriùs cedunt propellenti medicamento, quod foris quâcumque ratione adhibeatur & assumatur ptyelismum in quibusdam naturis, constitutionibus & ætatibus vix ac ne vix quidem concitabit.

V.

INTER morbos essentiâ suâ, causæ indole, partis affectæ dignitate & symptomatum gravitate magnos vix ullus est, qui certiùs eo laboranti funestus sit futurus, si naturæ absque artis subsidio sanandus relinquatur, quam lues venerea, nullus quoque qui rectâ convenientique remediorum usurpatione certiùs profligetur. Idem statuere de morbis omnibus ab ipsâ è natis nefas. Vuulæ perrosæ damnum nec ars, nec natura valet reparare. Os palati carie pertusum nusquam coalescit. in locum nasi putrila-

gine decidui aliud non sufficit natura ; hujus cartilago maximâ ex parte erosa non resarcitur. Vteri ulcus carcinodes curationem, multòminùs sanationem non admittit Certitudo hæc syphilidis notitiâ & propriorum illius remediorum virtute & efficaciâ nititur : ab eâ ad integram valetudinem reditus medicinæ opus, illius ὑποστροφὴ, vel reversionis metus ægrotantis vitium, vel medentis error : ab imperfectâ per hydrargyrum curatione virus residuum luis venereæ fermentum in internis corporis partibus restitat & in iis sopitum diu delitescit, priusquam malignitatis suæ notas proferat, nec nisi multo labore & tempore extinguitur vel excernitur : at quod superstes est à curatione per hidroticorum usum tentata in externis hæret partibus, brevique temporis intervallo sui fidem facit macularum in cute pustularum, tuberculorum, vel ulcerum in ore & faucibus eruptione, atque ocyùs minorique negotio radicitùs evellitur & ità discutitur, ut recursus nullum subsit periculum : in quod ægrorum plurimos adducunt, qui unâ hydrargyro omnem syphilidem nullâ habitâ ratione humoris, à quo fovetur, aut excitantur omnia ejus symptomata, nec satis perspectâ & cognitâ ægrotantium naturâ ; constitutione & ætate curandam suscipiunt. Quod se unico ptyelismo perfecturos confidunt, sed incassùm, is nec humoris est tenuis, nec eum provocari sinit quævis natura, constitutio & ætas. Ejus itaque vices suppleant hidrotica hausta & admota, quibus tenuis humor omnis veneni venerei labe pollutus, cuicumque corporis parti etiam durissimæ & densissimæ penitiùs infixus protrusus & elicitus foras evocatur & in sudores ubertim toto corpore erumpentes & manantes resolutus exploditur, ut à nativâ suâ temperie digressæ partes idoneo rerum non naturalium usu in integrum restituantur.

Ergo hydrargyro quæ non cedit Syphilis, hidroticis percuranda.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Philippus Douté.	*M. Alanus Lamy.*	*M Claudius Perraut.*
M. Nicolaus Morin.	*M. Claudius Quartier.*	*M. Tussanus Fontaine.*
M. Franciscus de la Chambre, Medicus Regis ordinarius.	*M. Franciscus Landrieu.*	*M. Franciscus Pajot.*

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS PVYLON ; Parisinus
A. R. S. H. M. DC. LXX.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographi.